

15  
16

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

DE

# ABORTU HABITUALI



QUAM

ANNVENTE SUMMO NUMINE

GRATIOSI ORDINIS MEDICORVM CONSENSU

*PRAESIDE*

D. PHILIPPO ADOLPHO BOEHMERO

FACULT. MED. SENIORE ETC. ETC.

PRO GRADU DOCTORIS

AD DIEM XXIV. SEPTEMBRIS A. O. R. MDCCLXXII.

IN REGIA FRIDERICIANA

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

IOANNES GOTTLIEB THEAU

*VRATISLAVIA - SILESIVS.*

HALAE

STANNO HENDELIANO.





DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA

DE

ABORTV HABITVALI.



*Introitus.*

**C**ircumspicienti mihi, quodnam specimen inaugurale eligerem: in mentem incidit, de *abortu habituali* pro virium tenuitate nonnulla differendi. Haec tot tantisque in arte peritis

Viris saepius pertractata materia omnino me a proposito detertere potuisset, cum nouerim, quid a tirone, tantorum virorum vestigia legente, expectari possit, sed missa amplissima de abortu in genere doctrina, *abortum habitualem et periodicum* potissimum exponendum, dignum iudicaui. Partus quidem historiam expectabunt plurimi, quam tamen ob angustiam pagellarum omisi. Abortus idea negligi haud potuit. Subsidium auxiliumque praebuerunt celebres Artis Magistri variique passim allegati auctores. Ita diutius TE, LECTOR BENEVOLE, non morabor; id solum rogo, velis concedere veniam erroribus, quos in primitiis studiorum constitutus committere forsan potuerim.

## §. I.

*Abortus quid?*

In varias Auctores sententias in tradenda *abortus* notione abeunt, dum eam latioribus alii, alii angustioribus limitibus circumscribunt. Est autem *abortus* exclusio foetus imperfecti, cui obstat *partus* tanquam exclusio foetus perfecti. Sumitur vero hic *abortus* in *sensu latiori medico*, cum sub hac notione in genere contineantur omnes *partus praematuri* a primo mense ad initium usque noni; *juridice* vero a primo usque ad sextum. Quum vero ex imperfectis, *partus septimestris* et *octimestris* sint *vitales*: ex imperfectis, qui septimo et octavo contingunt mense, *in specie* et *in sensu strictiori* dicuntur *praematuri*.

## §. 2.

*Quo tempore ut plurimum fiat?*

Frequentissime observatur *abortus*, primis *graviditatis* mensibus, rarius inter tertium et quartum, rarissime quinto vel sexto mense, et ferius, septimo et octavo incidens, qualis tunc quidem *praematurus* nominatur (§. I.)

## §. 3.

*Eius caussa proxima.*

Haec consistit in praematura auulsione placentae ab orificiis vasorum vterinorum, et prohibita sanguinis succique nutritii inter matrem foetumque communicatione. <sup>a)</sup>

## §. 4.

*Causae aliae remotiores.*

Et multae aliae grauidam primis gestationis mensibus ad abortum vel disponere, vel stimulum ad vterum deferre causamque, vterum extendentem, remouere valent; inter quas eminent:

1. uteri fibrarum nerueo – musculosarum nimia relaxatio; <sup>b)</sup>
2. febres variae, praesertim continuae, acutae, exanthematicae, variolae, morbilli &c. nonnunquam, at rarissime, intermittentes; <sup>c)</sup>
3. animi pathemata, ira, terror, mœror, tristitia et laetitia, excedens; <sup>d)</sup>

4.

a) HOFFMANN *Dissert. de abortu*, Halae 1733. §. 6.

b) HIPPOCRAT. *Aphor. Sect. V. 45. & 62. Heur. p. 375. & 398.*

c) HIPP. *Aphor. Sect. V. 55.*

d) B. V. SWIETEN *Comm. T. IV. §. 1306. p. m. 498.*

4. purgantia vehementiora, praesertim resinosa, emetica, emenagoga et diuretica fortiora, drastica, maiori dosi et repetitis vicibus propinata. e) Conf. cautel. §. 5. adducendae); rarefacientia, et salivatio mercurialis, ea maxime de causa, quoniam vires validopere consumit; contrarium affirmat BARTHOLINVS; f)
5. lues venerea;
6. venaesectiones, nimium repetitae, praecipue in pede; g) falsa autem est sententia HIPPOCRATIS *Sect. V. aphor. 31*;
7. haemorrhagiae excedentes, matrem foetumque mirum quantum debilitantes et convulsionibus ab inanitate ansam praebentes, quas potiores putant Semiologi;
8. diarrhoeae, dysenteriae, tormina alui iuxta HIPPOCRATEM; h) licet singularem in contrarium casum

e) B. V. SWIETEN *Comm. T. IV. §. 1306.*

f) *Miscell. nat. curios. Ann. I. Dec. 1. Obs. 51.* constat, duas gravidas, ignorantia Chirurgi salivatione mercuriali tractatas, salvos enixas fuisse foetus.

g) IVNCKER *Conspect. Therap. Tab. CXXVIV. p. 976.*

h) *Sect. V. aphor. 34.*

sum adducat, B. BÜCHNERVS <sup>i)</sup> et HOFFMANNVS, <sup>k)</sup> idemque Illustr. PRAESES, experientia conuictus, sentiat;

9. plethora in lautioribus delicate viuentibus, vitaeque sedentariae deditis, quam causam generalem agnoscit IVNCKERVS. <sup>l)</sup>
10. Commotiones nimiae corporis in non adsuetis; v. g. cursus, equitatio, saltatio, tussis, vomitus, stertutatio, singultus, vociferatio et huiusce modi alia;
11. coitus immoderatus, nimia veneris appetentia; <sup>m)</sup>
12. casus, ictus grauiiores, percussiones abdominis, contusiones uteri; <sup>n)</sup> lapsus; <sup>o)</sup>
13. fluor albus, praesertim sic dictus malignus; <sup>p)</sup>

14.

i) *Dissert. de abortu ob chronicam et torminosam Diarrhoeam non semper metuendo*, Halae 1767.

k) *Dissert. cit.* §. 17.

l) *Conspect. Therap.* Tab. XXXIV. p. 975.

m) PLENCK *erste Gründe der Geburtshülfe*, p. 301.

n) BÜCHNERI *Dissert. de Contusione uteri, eiusque effectibus in grauida*, Halae 1753.

o) V. SWIETEN *Comment.* T. IV. §. 301. p. 401.

p) IVNCKERVS *l. cit.* p. 976.



14. scirrhus, q) cancer uteri, cuius signa exhibet Ill. RONCALLI, r) sarcoma aliaeque excrescentiae.
15. Cachexiam quoque commemorat B. IUNCKERVS s) et varias morbos ROEDERERVS, t) quibus accedunt,
16. foetus iusto grandior, eius malus habitus situsque, u)
17. funis umbilicalis vel nimis brevis, vel circa foetum varie contortus, morbis foetus uti et placentae, eiusque peruersus ante orificium uteri situs, v)
18. morbus uteri localis, quamuis non absolute, w) uteri vulnus. x)

§. 5.

q) RUYSCH *Observ. anat.* Obs. 6. 7.r) *Historia morbor.* Brixiae 1741. fol. max. hist. 32. p. 148.

s) loc. cit.

t) Ib. cit. §. 723.

u) GAVBIUS *Inst. pathol. medic.* Lips. 1771. 8vo. §. 829.

v) ROEDERERVS l. c. p. 723.

w) Conf. Ill. PRAESIDIS *observatio in Act. Nat. Cur.* Vol. IX. appendice.x) vide RICHARD. *Dissert. de utero gravidae una cum foetu vulnerato*, Arg. 1735.

## §. 5.

*Cautelae quaedam notabiliores.*

Vt vt allegata haec omnia inter causas abortus, plus minusue extimescendi, referri merito debeant: docuere tamen observationes practicae, non semper euenire funesta ex commissis his vitiis praesagia. Interdum emenagoga et purgantia drastica (§. 4. No. 4.), sine noxa foetus assumpta sunt, referrente HOFFMANNO. y) Exemplum exstat mulieris, quae centum guttas olei destillati iuniperi per viginti dies omni mane assumpsit ad ciendos menses, nihilominus tamen filium peperit. Idem valet de venesectionibus (§. 4. No. 6.), quae sexies vel octies repetitae, iunctis unguentis fortissimis, pessariis, vtero applicatis, et longa inedia nil mali effecerunt, asserente EODEM, z) ex ZACUTO LUSITANO. Sic olea destillata fabinae et succini, myrrha, crocus, aloë, frustra exhibita sunt; aa) quamuis nouo scripto Cel. BÜTTNER asserat, bb) solam aloën ad procurandum abortum sufficere, multo valentiori fabina, inter-

y) Differt. cit. §. 16.

z) loc. cit.

aa) loc. cit.

bb) In Götting. Anzeigen, 1772. 68. A. S. 579.

interdum irrita. Et *affert* AMMANNVS <sup>cc)</sup> responsum inclytae Facultatis Medicae Lipsiensis, d. d. 5. April. 1656, quae condemnat pharmacopaeum quendam ob dispensatum inter species purgantes herbae fabinae manipulum dimidium; vim autem fabinae ab oleo concentratissimo pendentem haud plane negat Ill. LVDOWIGIVS. <sup>dd)</sup> Plures casus alibi passim occurrunt, quos omitto, ne acta agam. Ceterum conferri hic merentur b. BÜCHNERI *Dissertationes duae: una*, qua negatur, dari remedia, abortum simpliciter promouentia, resp. GRAEFIO, Halae 1746; *altera* quae de pellentium remediorum usu, abusu ac damno in parturientibus agit, resp. I. G. MÜLLERO, Halae 1746. Concludimus inde, abortiua specifica nulla dari, sed abortum concitari posse, si plura respondeant: quo *maioris* autem *momenti*, teste ROEDERERO <sup>ee)</sup> *est causa disponens, eo debilior occasionalis esse potest, ut abortus prouocetur, et contra.* Evenit exinde, ut aliae foeminae ad abortum sint proclives, aliae immunes maneant; quamuis maximo eiusdem periculo sese inconsulto exponant.

cc) *Med. crit et decisor. Stadae 1677. 4. pag. 412-415.*

dd) *Instit. Medic. forens. §. 229.*

ee) l. c. C. XXIII. §. 720.

## §. 6.

*Signa abortus.*

Sic recensitis utcumque abortus causis, ad *signa*, abortum praesagientia propero. Dummodo de vera graviditate certi sumus, cuius signa primis mensibus plerumque dubia sunt: ff) abortum minantur;

1. mammae sponte extenuatae, aut lacte tenui aquoso manantes;
2. latera arcta venterque superne angustatus; gg)
3. grauitatis et lassitudinis insolitae perceptio, et abolita interdum foetus sensatio;
4. horror, frigus, dolores vagi in abdomine ad os sacrum, lumbos et inguina sese extendentes;
5. os uteri humidum, mollius, apertum, aquam rubicundam et postea sanguinem sincerum, intermixtis grumis, maiori minoreue quantitate stillans; nisi forte abortus, a defectu succi nutritii oriatur, quo in casu absque haemorrhagia contingit;

6.

ff) ROEDERER l. c. C. VII. §. 126. Zimmermann von der  
Erfahr. 3. B. 4. C. 256 S. PLENK. lib. cit. Th. I. p. 28.  
gg) LOMMIVS *Observat. med.* 1. 2. p. 257 sq.

6. prostratio virium, nausea, palpitatio cordis, lipothymiae, <sup>hh)</sup> quibus addit Cel. ASTRUC; <sup>ii)</sup>
7. dolores in fundo vteri et tenesmum. Demum conuulsus uterus tertio plerumque die foetum propellit; silentibus vero rursus ad tempus motibus, exclusio imperfecti foetus aliquando ad septimum, nonnumque etiam ad undecimum protrahitur diem.

## §. 7.

*Eorum continuatio.*

Abortus, primo a conceptione mense accidens, non semper haemorrhagicus est, et vix notabiles efficit dolores; <sup>kk)</sup> <sup>ll)</sup> secundo et tertio vero mense plerumque grauioribus stipatus est symptomatibus. Vtriusque signa adducit IDEM. <sup>mm)</sup> At molaris conceptio, difficulter praecognoscenda, <sup>nn)</sup> abortu excreta, semper cum haemorrhagia coniuncta est, confer PLENK, <sup>oo)</sup> indeque etiam dicitur haemorrhagia molaris.

## B 3

## §. 8.

hh) HIPPOCRAT. *Aphor.* Sect. V. 56. Ed. Heurn. p. 389.

ii) BROCKES *pract. Arznei-Gel.* S. 533.

kk) Cel. NONNE *Dissert. de Abortu*, §. 20. Erf. 1768.

ll) FRIED. §. 414.

mm) Lib. cit. §. 139 et 414.

nn) ROEDERER l. c. C. 24. §§. 741. 743.

oo) lib. cit. p. 453.

## §. 8.

*Prognosis abortus.*

Cognitis signis, abortum praefagientibus (§§. 6. 7.), facillima diagnosis est, at difficilior *Prognosis*. Dubia semper et anceps, immo pro varia accedentium symptomatum ratione periculosa formanda. Periculosissimus est omnis abortus violenter excitatus, ut tamen saepissime fallat puellas corruptas, quae cum summo ut plurimum et immediabili sanitatis vitaeque dispendio illum arcessere student (§. 5). Et periculosior est haemorrhagicus incruento. Vid. ROEDERERVS. pp) Infausto demum omine nonnunquam uteri ruptura fit, vix unquam sanabilis. PLENK 99) &c.

## §. 9.

*Continuatio.*

Praeprimis euenit abortus foeminis, largo mensium fluxui obnoxiiis. Cumque foetus primis mensibus adhuc tenellus, vel minima accedente uteri haemorrhagia facillime excludatur: recte obseruauit HIPPOCRATES: plurimos abortus primis quadraginta diebus fieri. Et nimiae aborti-

uae

pp) lib. cit. §. 728.

99) lib. cit. S. 184-189.

uae haemorrhagiae saepe illico foeminas conuulsas jugulant; interdum in lentam febrem vel tabem miseras praecipitant; saltem plerumque tristissimos effectus, diutius perdurantes, procreant. Inter hos notatu dignus *habitualis* seu *periodicus* abortus est, de quo mox agendum.

## §. IO.

*Abortus habitualis quid?*

Huius notio per se patet. Determinari enim potest per *abortus semel facti recursum stato vel incerto tempore.*

## §. II.

*Eius praesagia et caussae disponentes.*

Illum inter caetera praesagiunt et ad illum disponunt;

1. abortus semel factus, praesertim in sensibilibus, (per §. IO.); hinc uterus in eiusmodi subiectis a leuissima caussa ita adfici facile potest, ut in sui contractionem ruat; <sup>rr)</sup>
2. dispositio a primo abortu relicta, aegerrime saepiusque non nisi per funestos effectus patens;
3. atonia relicta et laxitas uteri post factam violentam et conuulsuam stricturam;

4. matris ad eundem dispositio, in filiam hereditatis iure redundans;
5. pathemata hystericā, abortum frequenter concomitantia, vel infrequentia. <sup>ss)</sup>
6. An etiam meticulositas nimia abortum semel perperfarum aliquid conferre possit?
7. Uterus, qui propter sui habitum, ultra determinatum quendam gradum extendi nequit; <sup>tt)</sup>
8. foetus nutrimentum deficiens, foetusque mortuus. <sup>uu)</sup>

## §. 12.

*Observationes.*

Vndecies repetitum periodicum partum praematurum mortuum in praelectionibus suis retulit *III. BOEHMERVS*, Praeceptor et fautor omni animi obseruantia colendus. Adducit *Clar. NONNE* <sup>vv)</sup> immortalis *BOERHAVII* consilium, mulieri riginta duorum annorum datum, quae duodecies intra octo annos abortum fuerat perpeffa. <sup>ww)</sup> Neque

<sup>ss)</sup> *HOFFMANNVS* Dissert. cit. §. 31. pag. 22.

<sup>tt)</sup> *ROEDERERVS* l. c. C. XXIII. §. 721. Conf. *HIPPOCR.*

Sect. V. aphor. 44 - 45.

<sup>uu)</sup> *ROEDERERVS* l. c.

<sup>vv)</sup> Dissert. cit. §. 38.

<sup>ww)</sup> *Consult. XV.*



que minus ab AMMANNO<sup>xx)</sup> relatus legitur casus mulieris, abortu habituali quinquies repetito vexatae. Et prostat GVIL. CLAUDERI<sup>yy)</sup> obseruatio foeminae, sex annorum spatio octies abortum regularem trimestrem passae, omni quamuis adhibita attentione et cura. At Cel. *Anglus* ALLEN<sup>zz)</sup> commemorat foeminam, post tres abortus a quarto feliciter praeseruatam. Recenset aliam memorabilem historiam Ill. MEDICVS *Geschichte periodischer Krankheiten*; <sup>aaa)</sup> reliquas vt mittam obseruationes.

## §. 13.

*Difficilis est abortus periodici praeseruatio et curatio.*

Docuit iterata optimorum auctorum experientia, aborturientes foeminas non nisi difficillime et aegerrime praeseruari; vt taceam, nonnunquam derepente sine vllis signis nunciis abortum fieri. Quum tamen semper in discrimine maiore minoreue versetur foemina (§. 8.) summumque fit in mora periculum; certe prudentissima et cautissima illius adhiberi debet *medendi methodus*. <sup>bbb)</sup>

## §. 14.

xx) l. cit. p. 207-216.

yy) *A. N. C.* Dec. 3. ann. 4. obs. 106.

zz) *Synops. med. pract.* pag. 506.

aaa) CARLSRVHE 1768. 8. §. 177-179.

bbb) IVNCKERVS lib. cit.

## §. 14.

*Indicationes therapeuticae formandae.*

Saepe inuadentibus signis, abortus nunciis, (§. 6.) illico Medici efflagitatur auxilium, et hoc non omnino semper vanum irritumque est. Quo in casu sequentes indicationes therapeuticae formandae:

1. caussae occasionales eudentur et remoueantur;
2. hæmorrhagiae, in quantum adhuc fieri potest, sistantur;
3. symptomatibus urgentissimis obuiam eatur et
4. corpus denique roboretur.

## §. 15.

*Indicatio prima.*

Quoad primam indicationem ad remouendas caussas occasionales minus Medici, quam ipsius potius foeminae attentae requiritur cura. Morales caussae in societate humana vix euitari poterunt. Nec diaetae vitaeque regimen semper a voluntate dependent; saepe tamen mutari in meliorem partem possunt, ni obstet voluntas et consuetudo, altera natura. Lectu dignus Cel. ZÜCKERTI libellus:

*Diæt der Schwängern und Sechswöchnerinnen, Berlin 1767. 8v.*

## §. 16.

*Indicatio secunda.*

Secunda indicatio varia complectitur. Haemorrhagias abortivas imminentes inter alia sistit venaesectio, in brachio tempestive instituta, remedium optimum, at inutile ferme, dum, soluto iam placentae nexu (§. 3.), undatim ex utero sanguis fluit, <sup>ccc)</sup> caeterum nunquam facile omittendum. <sup>ddd)</sup> Quantitas detrahendi sanguinis anxie determinanda non est; cum aetas, vitae genus, temperamentum, vires, remotius proximiusque periculum, e signis (§. 6.) plus minus urgentibus elucescens, indicent. Ad tres vel quatuor uncias reducit Ill. VOGEL; <sup>eee)</sup> at repeti jubet interiectis quatuor vel sex diebus. Et quoties molimina fiunt ad abortum, toties, iudicante BOERHAAVIO, ex partibus superioribus mittendus sanguis est. Huc porro pertinent tranquillitas animi, et quies in lectulo, praesidium summum gravidarum periclitantium, qua sola foeminam octies iam abortum perpeffam, servatam fuisse, autor est IVNCKER <sup>vs.</sup> <sup>fff)</sup> Et aprime hanc commendat una cum regimine placidissimo

C 2

TIS-

<sup>ccc)</sup> V. SWIETEN *Comment.* T. IV. §. 1307. p. 504 seq.

<sup>ddd)</sup> IVNCKER l. c.

<sup>eee)</sup> *de cognoscend. et curand. H. C. affect.* (Goett. 1772. 8.) §. 305.

<sup>ff)</sup> Loc. cit.

TISSOTVS, opere notissimo, ggg) consentientibus insuper ROEDERERO, hhh) FRIEDIO et aliis. Ab exinanitione et conuulsionibus inde pendentibus (§. 4. n. 7.) metuendus est abortus interdum. Plerumque accidit eiusmodi post superatos acutos morbos et exanthematicos (§. 4. n. 2.). Iuat hoc in casu abstinere a sanguinis euacuatione et potius vires vitae admodum debilitatas, diaetae magis eupepta et roborante, cibisque euchymis, quam medicamentis sustinere. Pertinent ad hanc classem praecipue iuscula carniū cum succo citri, saccharo, cinnamomo, vel aliorum aromatum refractissima dosi confecta, parua autem quantitate, etsi repetitis vicibus, hausta; gelatinae, emulsiua &c.

## §. 17.

*Indicatio tertia.*

Intuitu tertiae indicationis: symptomatibus urgentissimis obuiam eatur. Indicationis huius partem absoluit secunda (§. 16.). Ex fonte pharmaceutico caute mercandum. Praestantissima vero sunt temperantia, nitrosa, cum corallīs rubris praeparatis, addito in refractissima dosi cortice casca-

ggg) Avis au peuple &amp;c. §. 364.

hhh) Lib. cit. §. 719.

casçarillae; interdum etiam moderantia atque laxantia lenissima, videlicet mannata, balsamica, rhabarbarina. Decoctum avenae et hordei cum nitri tantillo bihorio quovis commendat Cel. ZÜCKER T, <sup>iii)</sup> quod in foeminis habituali abortui adfuetis, vel ob pathemata hysterica (. II. n. 5.) in eundem pronis, per totum gestationis tempus conducere videtur. Praeterea exquisita vitae ratio eligenda, et necessariorum remediorum usus continuandus.

## §. 18.

*Indicatio quarta.*

Quarta indicatio obtinetur roborantibus. Hanc regulam caute adplicandam esse, quiuis facile perspicit. Commendat IVNCKERVS <sup>kkk)</sup> et BOERHAVIUS in consilio supra adducto <sup>lll)</sup> (§. 9.) lenissima ex adstringentium genere. Laudat periter praeter adstringentia opiata Ill. VOGELIUS <sup>mmm)</sup> et cum BOERHAVIO *van SWIETEN.* <sup>nnn)</sup>

C 3

Nec

iii) Libell. cit. §. 68. D. 126.

kkk) Loc. cit.

lll) NONNE Differt. cit. §. 38.

mmm) *De cogn. et cur. C. H. affect.* §. 306.

nnn) T. IV. §. 1307.

Nec excludit illustris hicce BOERHAVII commentator modicas artuum ligaturas, caute tamen adhibendas. <sup>ooo)</sup> Nec reiicit analeptica gratiosa; <sup>ppp)</sup> sicuti tincturam cinamomi cochleatim exhibitam, ex eodem Cel. PLENK depredicat variisque confirmat exemplis. Huc etiam spectant praeservatiue balnea tam simplicia, aquae dulcis, quam medica, incoctis vegetabilibus odoriferis, aromaticis uterinis; praecipuis minerales aquae, videlicet Lauchstadienses, teste HOFFMANNO. <sup>qqq)</sup> Haec vero, quando permittenda et suadenda, quovis in casu disquirat peritus Medicus. Saepius exoptato cum fructu adhiberi, docuit B. DANIEL *Beytr. zur medicinischen Gelehrs. 3. Th. 13. Abb. S. 263. 264. Sc.* <sup>rrr)</sup> In casu peculiaris uteri structurae (§. XI. n. 7.) nullum datur remedium tam praeservatiuum, quam curatiuum.

### §. 19.

#### *Quando abortus salutaris dicendus?*

Interdum omnino salutaris est exclusio abortus, vel foetus praematuri, praesertim mortui et in putredinem ver-

gen-

<sup>ooo)</sup> pag. 506. §. 1309.

<sup>ppp)</sup> Id. ibid.

<sup>qqq)</sup> Dissert. cit. §. 21.

<sup>rrr)</sup> Halae 1755. 4t. prodit.

gentis, cuius signa <sup>sss)</sup> uti et causas <sup>ttt)</sup> varias adduxit ROEDERERVS. Eius neglectus saepe putridis febribus gravissimis et inflammationibus occasionem praebet; quamvis de foetibus mortuis, diutius in utero materno sine notabili noxa retentis, fide dignae apud auctores legantur observationes. Atque fit haec exclusio vel medicamentis idoneis, vel ob horum eventum, saepe ancipitem, manuali dextre administrata operatione, cuius encheireses, ab artis obstetricariae Magistris adductas, hic proferre, superuacaneum foret. Prostat ab HOFFMANNO laudata BOHNII de *abortu salutari* Dissertatio.

## §. 20.

*Symptomata abortus et periculum differunt.*

Pleraque partum concomitantia symptomata, ratione praesertim situs foetus in utero uterique ipsius, de abortu quoque valere, nemo negabit. Pari ratione etiam periculum differt. Nam dantur abortus species tot, quot verae eius existunt causae.

## §. 21.

sss) Libr. cit. c. XV. §. 374 - 390.

ttt) Ibid. §. 390.

## §. 21.

*In haereditaria abortus dispositione difficilis est praeservatio.*

Et haereditariam habituaalemque abortus dispositionem nonnulli perhibent a matre in filiam translata<sup>uuu)</sup>, Iuuat in metu hereditariae ad abortum dispositionis Medicum omni studio in praeseruando sollicitum esse; dummodo non lateat caussa immedicabilis, nullo cognoscenda modo, et curationem respuens (§. 18).

## §. 22.

*Quid de abortu sic dicto epidemico sentiendum?*

Et epidemicum dari abortum, asserit HIPPOCRATES<sup>vvv)</sup> illumque hyemi tepidae pluuiosae adscribit, si eam sequatur ver siccum. Affirmat cum aliquali restrictione in foeminis habitus sanguinei et humidioris HOFFMANNVS<sup>www)</sup> Rusticae et minus delicatulae, aëris mutationibus assuetae, his certominus erunt obnoxiae, sique abortus in uno alteroue subiecto ab aëris iniuriis forsan contingant, inde tamen epidemici dici haud poterunt.

## §. 23.

<sup>uuu)</sup> HOFFMANNVS Differt. cit. §. 24. pag. 15.

<sup>vvv)</sup> Aphor. III. 12. Heurn. p. 174.

<sup>www)</sup> Diff. cit. §. 26.



## §. 23.

*Sterilitas ex abortu habituali.*

Ad sterilitatem frequentiores abortus facillime disponunt. Hinc ROEDERERVS <sup>xxx)</sup> quibus, inquit, *menstrua minus sunt copiosa, vel et quibus statis periodis conceptio cum menstruis effluxit, pari modo steriles sunt censendae.* Dantur adhuc aliae sterilitatis causae, videlicet:

1. uteri cum annexis partibus mala constitutio, immediate dicabilis;
2. mensium vitia in excessu et defectu, quamvis foeminas, quae nunquam menstruorum fluxum expertae sunt, peperisse, male perhibeant observatores nonnulli;
3. occoecatae quavis demum ex causa tubae fallopianae; <sup>yyy)</sup> integra caeteroquin manente sanitate;
4. intemperantia et nimia veneris appetentia;

5.

<sup>xxx)</sup> l. c. C. VII. §. 132.

<sup>yyy)</sup> Ill. VOGELIVS libr. cit. §. 6184. Haec a RUYSCHIO *Observ. 83.* facta animaduersio pertinet ad causas occultas, probabili tantum ratiocinio ex absentia aliorum signorum, quae causam manifestam arguere possunt, eruendas.

5. ovariorum plenarius defectus; <sup>zzz)</sup>

6. uterus scirrhusus fereque cartilagineus, steatomaticus, exulceratus, polyposus &c. <sup>aaaa)</sup>

His tamen omnibus diutius immorari, instituti ratio prohibet. Sufficiat tantum, harum rerum breuissimis mentionem fecisse. <sup>bbbb)</sup>

§. 24.

*Nonnulla ad sterilitatis diagnosin prognosin et curationem pertinentia.*

Diagnosin sterilitatis muliebris difficillima est, quum sensus externos pleraque signa (§. 23.) subterfugiant, et caussae saepius, bene quamuis perspectae, arte tamen corrigi nequeant. Hinc semper dubia prognosin per se patet. Perspecta uteri vitia, salutari arte et naturae adiutricis auxilio remota, noui futuri conceptus faustum dant augurium. Menses in ordinem redigere, res saepe ardua, sed  
prae-

<sup>zzz)</sup> GRUNER Diss. in textu cit. §. 18. REGN. de GRAEF. de  
Mul. Org. C. X.

<sup>aaaa)</sup> lib. cit. §. 618.

<sup>bbbb)</sup> Legantur C. G. GRUNERI Dissert. de sterilitatis caussis in sexu sequiori, Halae 1769. et Joh. de LEMOS Diss. de sterilitate utriusque sexus, eiusque caussis, signis et curatione, Halae 1758. HIPPOCRAT. Sect. V. aphor. 62. et III. VOGELIUS I. c. §. 618. 619.

praecipua est. Excreſcentiae variae, et maiora reliqua uteri vitia (§. 23. n. 6.) non niſi raro curantur, exorta autem a lue venerea grauiora mala vix unquam. Tentari tamen caute et prouide poterit, quid in ſterilitatis caſu efficere valeant balnea mineralia, vel ſimplicia, de quibus iam ſupra actum fuit (§. 18.). Iungantur roborantia, abſtergentia baſamica, tonica, haud neglectis cautelis. Plures ex abortu ſteriles feliciter a ſe curatas eſſe, refert HOFFMANNVS, <sup>cccc)</sup> qui et emplaſtra applicanda commendat. <sup>dddd)</sup> Neque repugnat rationi. Sterilitatem enim ex ſolo abortu habituali, ſine ulla notabiliore labe oriundam, cauſas proximas remotasque (§. 3. 4.), quantum fieri poteſt, remouendo, praecauere et corrigere interdum licet; quo tamen in caſu plus diacta accurata et regimen vitae exquisitiſſimum efficient, quam ſylua remediorum. Taceo vulgi remedia ſuperſtitioſa, quorum multa nec iuuantia, nec nocentia adducit Clar. NONNE, <sup>eeee)</sup> et incerta ab Ill. VOGELIO <sup>fff)</sup> problematice propoſita; qui iudicioſe addit, *his nec fidendum, nec diffidendum, quum natura in multis rebus incomprehenſibilis ſit.* Plura non addo, dum cauſas omnes exacte cognoscere, hic labor, hoc opus eſt.

<sup>cccc)</sup> Differt. cit. §. 31.

<sup>dddd)</sup> Ibidem.

<sup>eeee)</sup> Differt. cit. §. 36.

<sup>fff)</sup> Libr. cit. §. 619. p. 512.

PRAESTANTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S.

P R A E S E S .

Quum T V A T E virtus nunc ad cathedram euocer; trans-  
acti curriculi academici publicam non minus, quam solemnem  
reddis rationem. Comparasti T I B I, quod rarum, indefesso  
labore et impetu quasi in addiscendis studiis, nec non morum  
elegantia apud quoscunque bonos existimationem, nihilque in-  
termisisti diligentis operae vnquam per integrum illud, quod  
in

in Fridericana nostra transegisti, Iustrum, ad perficienda praeclara Medici discentis studia. Praesertim vero eo ex tempore, quo partim in theoreticis, partim etiam practicis et clinicis laboribus TE assiduum habui auditorem comitemque suauissimum, circa artis salutaris opera semper sollicitum meique amantissimum noui. Superuacui igitur laboris erit, operosius in encomia TVA ferri. Testis est praesens Specimen, propria a TE elaboratum opera, temporis, apud nos optime collocati, praeclarum documentum. Ita nunc praeparatus et per omnes Medicinae partes probe instructus in Patriam dilectissimam tendis, quo maiori auctoritate illi inferuire possis. Gratulor itaque TIBI, CANDITATE DILECTISSIME, felicem vitae academicae decursum. Gratulor supremos in arte salutari honores, communi omnium suffragio ex merito decretos. Faxit Supremus rerum omnium Moderator, ut TIBI TVISQUE omnibus quaeuis eueniant feliciter, TVOSQUE in artis nostrae exercitia conatus ita dirigat, ut in EIVS gloriam, TVI vero aliorumque emolumentum vergant vberimum. Vale!

Halae d. XXIII. Sept. MDCCCLXXII.

Me miserum! — fugit oscula nostra fidelis amicus!

Praesidiumque fugit dulce decusque meum! —

Hinc lacrymae nostris oculis descendite moestae!

Expletur lacrimans egeriturque dolor.

Accipe quae lacrimans cantabo, fronte serena,

OPTIME THAUE quem diligo luce magis

Me cantare jubet, me carmine fundere vota

Increpuitque lyra Cynthias auricomas:

Ergo meum carmen comitetur TE fugientem

E nostris oris e manibusque meis

Ipse Deus clemens cunctis conatibus adsit!

Sit quodcunque facis, fons TIBI laetitiae

Teque TVOSQUE omnes coeptos pietate labores

(Audiat Omnipotens!) forsque sequatur ouans

Auxiliumque fere tutum mortalibus aegris.

Sis semper felix — sint TIBI diuitiae

Queis nulla est speranda salus, hos eripe letho!

Sis semper felix! sisque memorque mei.

Pauca haecce, de honoribus mox atque merite capeffendis,  
gratulabundus, adicere voluit debuitque

Buhle

HALLENSIS.

VIRO

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE HONORATISSIMO

D O M I N O T H A U

SVM MOS IN MEDICINA HONORES CAPESENTI

S. P. D.

I. H. ECKHOFFIVS, GOLDINGO-CURONVS.

M. C.

**M**ultas Tibi iam comparasti laudes, dum ad differendum publice, talem elegisti materiam, qua ingenii Tui acumen, acquisitamque Tuam in re medica cognitionem, ostendere potuisti. Possem equidem plura, de Tuo in arte salutari profectu adducere; sed disertissimus doctrinae Tuae preco, eruditum istud est specimen, quod summa cum laude Te contra aduersariorum Tela propediem defensurum esse, non dubito. Voluisti doctissime Candidate! vt honorum doctoralium ex merito Tibi conferendorum testis essem: qua in re Tibi quoque deesse nolui. Habebis me autem non tam strenuum oppugnantem, quam potius laetum applaudentem, qui iam in antecessum deportandam Lauream Tibi ex animo gratulatur. Fruere per longam annorum seriem amplissima doctoris dignitate, qua Te mox mox exornatum salu- tabimus omnes. Fruere sede, quam Tibi fata parant, commo- dissima. Et si fida verba valent, conatibus Tuis ipse Deus O.M. Semper exoptatos adigat euentus. Me tandem et absentem amorii Tuo commendatissimum serua. Vale. d. xxiii. Sept. MDCCLXXII.

VIRO

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
CANDIDATO MEDICINAE DIGNISSIMO,

S. D.

IOANNES CHRISTOPHORVS NIEMANN,

DESSAVIA - ANHALTINVS, MED. CAND.

Statim ex eò die, quo mihi primum innotuisti, (innotuisti autem mihi jam primo die, quo *Halam* accessisti) *Te* variarum rerum peritia et eximiis ingenii dotibus abundare expertus sum. Antequam enim ad Asclepiadea sacra accedebas, in *Silesia* et *Polo-*  
*nia*, artem pharmaceuticam per plures annos diligenter coluisti, et non modo, quod a multis fieri solet, solis manuum operationibus operam dedisti, sed vera chemiae principia *Tibi* nota reddere studeisti. Cum autem ingenium *Tuum* ad altiora natum esse perspiceres, *Halam* adiisti, et omni diligentia medicinae operam nauasti, breuique tempore tantos fecisti progressus, vt *gratiosus Medicorum Ordo* *Te* dignum iudicauerit, cui summi in medicina honores conferri possent. Ad quos obtinendos, proprio, quod dicunt marte, conscriptam dissertationem, publice defendes. Dissidentis munus, quod in me collocare *Tibi* placuit, lubenter accepi, cum mihi hoc modo occasio suppeditetur, *Tibi* lauream doctoralem publice gratulandi. *Deus omnipotens* *Tuis* conaminibus semper benigne adsit, vt felicissimo euentu, artem exerceas medicam. Mei memoriam etiam in posterum *Tibi* habeas commendatam. Ita vale, *praestantissime Thau*, meque amare perge. Dab. Halae Magdeb. d. XVII. Septemb. MDCCLXXII.



HONORVM  
IN SCIENTIA SALVTARI  
SVPRMORVM  
CANDITATO DIGNISSIMO  
I O H E . G O T T E L . T H A U  
OMNIA FAVSTA CVNCTAQVE BONA  
PRECATVR,  
CHRISTOPHORVS KNAPE,  
WOLLINO · UCAROMARCHICVS.

Etiam si nostris temporibus, vetus illud pythagoricum dictum *αὐτὸς ἔφα*, cassae nuci haud absimile habeatur, rationesque sufficientes, plerumque huic praeferantur: nihilominus persuadere mihi nequeo, tale me facinus commissurum, ad acherontem vsque quod condemnari mereatur, sine erubescencia si affirmare audeo, *αὐτὸς* illud *ἔφα* non semper ineptissimam fore responsionem; certoque respectu, hocce, Pythagorae magni tunc temporis philosophi persapiens praeceptum, haud apprime vituperandum esse, quinquennium silentii intactum si relinquimus. Vix fieri enim poterit, vt sagacissimus Musarum filius, breuissimo plerumque isto tempore, ab inuida fortuna studiis dicato, tot multos variosque Gordii nodos, quod plerisque scientiis occurrere solent, perspicacissimis etiam si praeceptoribus soluti sint, vnica inquam enodatione, animo tam distincte repraesentare queat, vt nouam complicationem commutationemque filorum, nunquam vereri debeat. Certe potius, intimae horum resolu-

tioni, multo longius vacare debebit, quam academicum tempus permit-  
tet; nisi magni forsan Alexandri solutionis methodum imitari vellet:  
quam autem applicabilem fore, vix credam. Fingas Tibi nunc talem  
possibilem statum, praesenti tempore haud rarum, quod admodum nempe  
breue tempus, ab irata fortuna studiis academicis dicatum, vix maxime  
necessaria, nedum complicatiora acutissime secum cogitare permittat;  
quid tunc, rebus sic se habentibus, melius erit? vel αὐτὸς ἔφα disputanti  
respondere? vel, quadrata rotundis anxie miscere, eique ridiculo esse?  
Ego vere! calculum meum priori adiicerem. Quid idne mirum, nec  
Tibi postulanti illum si negaram? dum irata fortuna, Te quoque, similia  
experiri coëgit. Vah vero! non solum non postulas, sed et plane reiecis.  
Mox publice enim probare statuisti, quantum valeat diligentia, quan-  
tumque polleat virtus: ambabus hisque, complicatissimos nodos facilli-  
me solui. Immo quod magis! non mihi solum, sed omnibus certamen  
denunciaisti: coactus igitur, lubentissime me reuoco, Tibique quia debeo  
contrarius ero. Inevitabilem autem certaminis huius exitum iam praevi-  
dens, de certissimo a me non solum, sed ab omnibus Tuis aduersariis  
deportando triumpho, toto Tibi ex animo congratulari, diutius non de-  
morabor: laetus, ut et Tibi denique, diligentiae Tuae prostent praemia.  
Fruere, omnibus inde dependentibus bonis, optima cum felicitate. Omnia-  
que nisi votis meis aduersantur, faxit summum illud Numen, quod regit  
immensam iusto moderamine molem, cuncta ut competant conueniantque  
votis Tuis. Annuat, omnibus Tuis conaminibus; omnia bona faustaque  
semper Tibi eueniant iubeat: iisque stipatus, nomen meum, si asseruari  
mereatur, ex indice amicorum Tuorum non delere, ventisque ne tra-  
dere velis, obsecro. Cura, ut valeas. Halae ad Salam, die xvto Ca-  
lendarum Octobris MDCCLXXII.

VIRO PRAENOBILISSIMO  
AC DOCTISSIMO  
IOANNI GOTTLIEBO THAU  
AMICO SVO SVAVISSIMO

S. P. D.

F. V. Dziuba.

LEG. CVLT.

**E**ximius honor est, quem natalium splendor conciliat, et merito illustres auos reueremur in illis quos domestica virtutis exempla, menti altius impressa, ad quaeuis pulchra et sublimia impellunt, et rapiunt. Insignis quoque gloria est, quam sibi pariunt, qui reipublicae defendendae causa fortia hostibus obiciunt pectora, et belli gerendi peritia cluunt. At non minorem esse eorum dignitatem atque praestantiam, qui variis artibus ac scientiis, et praecipue arte salutari medica animum recte imbuerunt, facile norunt, quicumque arduam et infinitis difficultatum sentibus impeditam scientiarum viam calcant; certe felicissima quoque ingenia non nisi pertinaci industria indefessoque labore eam superant. Sudorem ante virtutem Dii posuere. Fateor merito, quidem in summo honore haberi, qui irruentes in patriam inimicos repellunt, nec honestissima vulnera excipere, nec ipsum vitae periculum adire recusant. At non minor vestra laus est, qui

qui pestifera ab aëris iniuria rempublicam tutam redditis, membra eius fatigata reparatis, lapsa erigitis. Pulchre de republica merentur, qui gladiis, clypeis et thoracibus nixi, pro eius salute propugnant. At nihil utilitate in publicum illis ceditis, qui corticis cuiuslibet confisi munimine, laborantium spem, vitam, et posteros defenditis. Agant magnificos belli Duces triumphos, ob caesa aliquot hostium millia; Vos vnus interdum ciuis seruati, quam mille hostium interemptorum maior manet gloria, triumphalique tunc potiorem habetis coronam. O gloriam incomparabilem! O praeclarum honorem! non emendicatis suffragiis sed libero ciuium consensu, et testimonio singularis virtutis doctrinae medicae laude celebrari. En inuidendum encomium! quod ex amplissimi Academiae senatus decreto de Te Amice per dilectæ plenissime probabitur, quodue ego Tibi ex animi sententia gratulor, denique de quo Tibi applaudent omnes, quibus eximia Tua merita sunt perspecta. Nihil iam dicam de regia via, qua ad ipsos artis salutaris perrexisti Auctores, quibus cum dies noctesque habitando, omnem studii medici difficultatem feliciter superauisti, cuius rei luculentissimum documentum est specimen Tuum, quod de graui elaborasti materia, atque quod propediem in omnium conspectu, aduersus doctas oppugnantium machinationes, procul dubio mascule summaque cum laude defendes. Quae ut omnia ex meritis votisque Tuis rite peragantur precor. Faxitque Deus, ut qui tam pulchros Tibi iam pepererunt fructus; deinceps quoque feliciter succedant Tui conatos. Vale. Halae Salicae d. xxii. Sept. MDCCCLXII.

---